

ISTITUTO NAZIONALE
DI STUDI ROMANIPER.
LAT
020

BIBLIOTECA

Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeunesse

Megjelenik minden hó 20-án. — Prodit singulis mensibus die. 20. Pretium subnotationis an. 1942—43: 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chèque) postalis in Hungaria: 57.292. — Laptulajdonos: Katolikus Közepiskolai Tanáregyesület. — Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, XI., Fehérvári-út 13. (tel.: 269-057).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction) ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR. Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. IV. 6. (tel.: 468-099)



Justinianus I.P.E. Presbyter Cardinalis Szécsi,
Princeps Primas Hungariae, Archiepiscopus Szegediensis,
Perillustri Viro Joseph Doctori Wagner,
tit Directori salutem!

Cum ex cathedra, ex qua gymnasii alumnus Budapesti curae
Tuae concreditis per numerosa lustra optimis sermonibus, mira eru-
ditione, genuina arte paedagogica docueras, nuper descendens;
cumque iam arduis modum posueris laboribus: auctor sum,
ut merita dudum quiete multum ac diu perfrui valeas.

Verum alios quoque mente recogitans peculiare et amoenos
calores, quibus catholico studio perfunctus es, cum in ecclesia,
idem gymnasium adnexa, 24 annos propter solam Deam religio-
sa carmina eodem alumnos doceres praesque ipsorum ora-
tiones melodiis distinctas organo, quod haecmet ad artis le-
ges pulsaveres, ad Deum sublimares: Supremus Archiepiscopus
Szegediensis Artistes gratias ex corde rependo.

Nē autem animum vires merito hebetentur otio, libellum
menstruum, qui *Iuventus* inscribitur, moderari pergas opte-
tet, atque de amplissimis scientiarum thesauris prout quoque
proferas nova et vetera. Vale!

Szegedii, Pridie Kal Jan. A MDCCCCXLIII.

LECTORIBUS MINIMIS.

locosa.

1. Magistra: Enumera mihi poetas Romanos, qui temporibus Augusti vivebant! — Discipula: Vergilius, Ovidius... Homerus. — Mag.: Homerus? Quis erat Homerus? — Disc.: Verē, Homerus non Romanus erat, sed Graecus. — M.: Et quando vivebat Homerus? — D.: Aliquando!

2. Quia Rumeni in oppido quodam Hungarico subsellia¹ ex schola abstulerunt, discipuli in solo (= terra) sedentes expectabant initium studiorum. Primus catechista² intravit, qui, post preces unum e discipulis interrogavit: «Cur sumus in terra? — Puer interrogantem non recte intelligens respondit: «Quia subsellia ablata sunt».

3. Magistra: Quid scis de P.³ Cornelio Scipione? — Discipula tacet. Magistra adiuuvare cupiens: Quod munus⁴ Scipioni mandatum est? — Puella Scipionem Fabio Maximo confundens⁵: Cornelius Scipio — inquit — a Romanis cunctator creatus est.

Vera Kertes disc. Veresiani Bp.

In ea parte viae stratae, ubi tantum pedibus ire licet, quidam agricola bovem ducit. Securitatis⁶ publicae⁶ custos⁸ in eum invehitur⁷: «Hac viā bovem ducere non licet, hic tantum pedibus ire permissum est!» Agricola mirans respondet: «Forsitan bos non pedibus it?»

Ioephus Tallós disc. Klauzalani Szegedinensis.

Apud advocatum. Homo desperatus advocatum clarissimum adit. «Domine advocate, — dicit, — veni te consulturus.⁸ Quid mihi faciendum esse putas, quia puerulus malus fundā⁹ fregit fenestram meam maximam.» «Res valde simplex est; — respondet ille, — fas est poscere a patre pueri, ut pretium fenestrae compenset.» «Gratias maximas ago pro consilio, domine, — inquit homo, — fenestra 16 Pengoe constat,¹⁰ ergo nunc da mihi hanc pecuniam, quia filius tuus intulit¹¹ damnum¹¹ mihi.» «Vere? Nunc igitur tu mihi dabis 4 Pengoe, quoniam me consulere de iure 20 Pengoe constat.»

Eva Nemes disc. Elisabethae Bp.

1. Filius agricolae: Pater, dicere tibi aliquid velim. — Pater: Priusquam dicas, considera,¹² mi fili! — Paulo post filius iterum vocem mittit: Pater, denuo tibi aliquid dicere velim. — Pater: Denuo, mi fili, considera! — Filius aliquamdiu tacet, deinde rursus incipit: Pater, nunc vere dicam tibi aliquid. — Pater: Considera, mi fili, priusquam dicas. — Filius: Sed, pater, si pergo¹³ considerare, mastruca¹⁴ tua omnino conflagrabit.

2. A: Canis tuus, domine, dum telephonice¹⁵ nuntiabam,¹⁵ assum¹⁶ meum anserinum¹⁶ devoravit. — B: Acquiesce, domine. Morticinus¹⁷ punietur: vespere non accipiet cibum vespertinum.

3. Nicolaus: Stephane, quot similes¹⁸ potes ventre vacuo comedere? — Steph.: Septem. — Nic.: Valde erras, nam si primam comedisti, ceteras iam non ventre vacuo comedis.

Albinus Szalontay disc. Ginsiensis.

1. Puerulus in margine¹⁹ viae¹⁹ stat. Homo benignus interrogat: «Cur non transis, mi fili? Nunc via vacua est». Puer: «Non licet, inquit, transire». — «Cur?» — «Nam mater mea iussit me tum demum²⁰ transire, si currus electricus iam praeterisset. Ego iam dudum²¹ expecto, sed non dum currus electricus praeteriit.

2. Magister: Scisne dicere, puer, uter magis necessarius sit, sol aut luna? — Puer: Luna. — M.: Cur luna? — P.: Luna est magis necessaria, nam die sic quoque satis lucet.²²

3. Magister linguae Hungaricae: Scisne exemplum dicere proverbii Hungarici: «Non omnia aurea sunt, quae splendent? — Discipulus: Scio. Posterior pars bracarum²³ patris mei.

Ioannes Velle disc. Piani (Pécs).

1. Magister historiae: Quid fecit Carolus Magnus rex, postquam in solium²⁴ escendit? — Discipulus: Considit.

2. Hospes: Velim, filiule, cum patre tuo colloqui. — Filiolus: Pater meus expectabat te. — H.: Duos pengones do tibi, si dicis, unde scias patrem tuum me expectavisse. — F.: Horā enim iam ante domo egressus est.

3. Christianus X. rex Daniae olim in via ambulans puerulum vidit, qui ante quandam portam summis²⁵ digitis²⁵ stans²⁵ totamque vim intendens malleolum²⁶ tintinnabuli²⁶ attingere et comprimere voluit. Rex: «Nunc, inquit, ego equidem adiuvo te», et malleolum ita compressit, ut tintinnabulum statim tinniret. Tum puer aufugiens dixit regi: «Nunc, domine, tu quoque aufuge, nam si ostiensis²⁷ domo exit, alapam²⁸ nobis dabit».

Carolus Lackner disc. Bajaensis.

¹ pad = Bank = banc ² hitoktató = Religionslehrer = catéchiste ³ Publio ⁴ tisztség = Amt = charge ⁵ össze-
téveszt = verwechseln = confondre ⁶ rendőr = Schutz-
mann = policier ⁷ ráförméd = losfahren = blämer ⁸ hogy
tanácsot kérjek = um zu befragen = pour demander
conseil ⁹ csuzli = Schleuder = fronde ¹⁰ kerül = kosten =
coûter ¹¹ kárt okoz = Schaden verursachen = causer du
dommage ¹² megfontol = überlegen = peser ¹³ tovább =
weiter = continuer ¹⁴ suba = Schafpelz = houppelemande
¹⁵ telefonál = telephonieren = téléphoner ¹⁶ libasült =
Gänsebraten = oierôtie ¹⁷ dög = Aas = charogne ¹⁸ zsem-
lye = Semmel = petit pain ¹⁹ járda = Bürgersteig =
trottoir ²⁰ csak = nur = seulement ²¹ régen = lange =
depuis longtemps ²² világos van = es ist hell = il fait clair
²³ nadrág = Hose = pantalon ²⁴ thronum ²⁵ ágaskodva =
sich auf die Zehen stellend = se dresser sur la pointe du
piéd ²⁶ a csengőgomb = Klingelknopf = sonnerie ²⁷ ház-
mester = Hausmeister = concierge ²⁸ pofon = Ohrfeige =
gifle

Viereck lanius!¹ Cum imperator Iosephus II regnabat Viennae, vivebat in urbe quidam lanus, nomine Viereck. Qui valde asper² incultusque erat vir et non amabat Hungaros. Itaque discipuli Hungarici ludibrio eum habere volentes se in occultum³ abdiderunt³ prope portam urbis Viennae et expectaverunt lanium. Cum lanus ebrius⁴ appropinquabat, discipulus primus venit ex latebra et dixit ianitori nomen fictum:⁵ Eineck. Mox secundus, deinde tertius discipulorum prosiluerunt et dixerunt nomina composita:⁵ Zweieck, Dreieck tam magnā voce, ut omnia moenia resonarent. Ianitor iratus est, at nihil fecit. Nunc opifex Viereck gressum tulit usque ad ianuam et clarā voce dixit nomen suum: Viereck. Ianitor iratus advocavit milites et lanus multis verberibus punitus est.

Antonius Kerényi disc. gymn. Acad. Bp.

¹ mészáros = Fleischer = boucher ² durva = grob =
rude ³ elrejtőzik = sich verstecken = se cacher ⁴ pityók-
san = betrunken = ivre ⁵ kigondolt = erfunden = feint
⁶ mester = Meister = maître

Salse dicta. 1. Philosophus quidam rogatus, ubi Deus esset, respondit: «Dic mihi, ubi non sit?»

2. Alexander Ephesi imaginem suam contemplabatur, quam Apelles, pictor clarissimus suae aetatis pinxit; sed Alexander tabulam pictam minus laudavit, quam debuit. Equus Alexandri ad imaginem ductus adhinnivit,⁷ quasi dominum suum videret. Tunc Apelles «Nonne — inquit — equus tuus artis pingendi peritior videtur, quam tu!»

3. Alexander piratam comprehensum interrogavit, quo iure maria infesta redderet? «Eo iure, quo tu totum mundum, respondit ille, tantum modo cum ego navigio parvo homines aggredior, latro nominor, tu autem, quia tota classi, princeps nominaris.» Alexander piratam inviolatum dimisit.

Margaretha Bella disc. Ursulani (Sopron).

⁷ rányerit = anwiehern = hennir à la vue de

LECTORIBUS MEDIIS.

De speculatoribus

(3)

Narratiunculae temporis aptae. Convertit: J. Guelmino Bp.

3. Ne infirmariae¹ quidem credideris! Cum bellum iam exasperatur,² si vires iam iam deficiunt, et utrumque de vita³ dimicatur:³ summum in discrimen venit exercitus, cui impetus ex improviso et maioribus viribus uno loco inferri potest. Quod ut fieri possit, alter exercitus copias novas, magno numero, secrete contrahit, tormenta⁴ bellica⁴, missi iaque confert illuc, ubi aciem hostium perfringere parat. Praesentit autem etiam alter exercitus parari secrete impetum, sed nequaquam explorare potest, cuius generis copiae, quantaque sint contractae, neque ubi tormenta⁵ disposita,⁵ quantaque vis missilium sint congesta. Nunc est utendum speculatore, sed quomodo? Quoniam autem non ignorat, priusquam impetus fiat, solere valetudinaria⁶ condi, loca⁷ ligatoria⁷ constitui, currusque⁸ saucii⁸ vehendis⁸ procurari, gratiasque maximas aequi regno neutrali et amico pro valetudinario vehiculis⁹ motorii⁹ instructo⁹ una cum infirmariis, infirmariabusque humane dono datis, qui eo mittantur, ubi illis maxime opus fore credatur: nihil intelligibili¹⁰ est, quam ut maximā curā id¹⁰ agat,¹⁰ ut in numero infirmiorum, infirmiarumque etiam speculatores sui adsint.

Bello mundano primo factum est, ut inter infirmarias mulier quaedam nobilissima, ditissimaque irrepserit, speculatrix, quae officiosissima¹¹ quidquid agendum sibi erat, summa¹² religione¹² ac fide¹² peregit et suum esse putavit omnibus adesse. Adit igitur tormenta disposita, novasque legiones, ubique dona caritatis large distribuens, curansque aegrotos et vulneratos. Sic haec domina, amicissima copiarum aequae ac praefectorum,¹³ pulchra, adulescentula et dives, omnibus cordi erat. Et nemo admirabatur, quod haec femina, quae in bello antea nunquam versabatur, ex tanta longinquitate locorum huc profecta, cupida erat rerum et diligenter sciscitabatur. Et quoniam omnibus tam libenter aderat, omnes maxime iuvabat¹⁴ ei omnia accuratissime explicare.

Accidit autem aliquando, ut quidam praefectus militum vulneratus curandi causa huic feminae traditus sit. Cum vero cognosceret hanc esse speculatricem illam, quae olim e manibus effugisset, ut caperetur, clamorem ingentem sustulit.



Currus bellici novissimi flammaram missores.

Cum autem clamore excitati medici concurrissent, et certiores facti essent, quae haec femina esset, illa iam nusquam inveniri poterat, nam incredibili sollertiā¹⁵ contigit ei persecutores fallere, et ad suos redire.

Non vane igitur inscribitur huic historiae: «Ne infirmariae quidem credideris!»

¹ ápolónő = Krankenwärterin = infirmière ² elmérgesedik = verwildern = exaspérer ³ élethalálharc folyik = ein Kampf auf Leben und Tod = livrer une guerre à mort ⁴ ágyú = Kanone = canon ⁵ üteg = Batterie = batterie ⁶ kórház = Krankenhaus = hôpital ⁷ kötőzőhely = Verbandplatz = poste de secours ⁸ sebesültszállító kocsi = Krankenwagen = ambulance ⁹ gépesített = motorisiert = motorisé ¹⁰ arra törekszik = dahin arbeiten = avoir l'intention ¹¹ szolgálatkészen = bereitwillig = empressée ¹² a leglelkiismeretesebben = mit der größten Gewissenhaftigkeit = le plus consciencieusement ¹³ tisztt = Offizier = officier ¹⁴ örömmel = mit Freude = avec plaisir ¹⁵ ügyesség = Geschicklichkeit = habileté

Certamen corrigendi. Nuntius mendosissimus a quodam discipulo scriptus, mense Octobri ad corrigendum propositus hic corrigitur:

Amy¹ Johnson mortua est. Quam² ephemerides Britannicae nuntiaverunt mundo, dominam³ volantem³ insignem³ nactam³ esse:³ Amy Johnson. Ea erat clarissima domina⁴ volans⁴ non solum in Britannia, sed etiam in⁵ tuto⁵ mundo. Adhuc in⁶ aetate⁶ puella⁶ factum est nomen eius clarissimum: e⁷ Melbournense⁷ in⁷ London⁷ volavit sola. Tam audacem volatum vires⁸ volantes⁸ ante eam non fecerunt. Postea denuo volavit trans Oceanum inter London⁹ et meridiem¹⁰ Africam Australiamque. Quum ad¹¹ Jim¹¹ Mollison nupsit, magis¹² etiam¹² volabat, adhuc¹³ audax fortisque fuerit.¹⁴ Iam una cum marito volant¹⁵ et etiam sic fuerint¹⁶ clarissimi. Aderant ubique,¹⁷ ubi¹⁷ elari volantes¹⁸ constituerunt¹⁹ alium.¹⁹ Volatorum²⁰ certaminum²⁰ circumvolandi²⁰ arti²⁰ misericordes²⁰ erant. Amy Johnson ivit²¹ etiam in Hungaria²² in²³ Iulio²³

¹ Amalia ² Ut ³ domina volatrix insignis facta est. ⁴ volatrix ⁵ toto in ⁶ puellae ⁷ Melburnio Londinium ⁸ viri volatores ⁹ Londinium ¹⁰ meridianam ¹¹ Jacobo ¹² etiam magis ¹³ semper ¹⁴ fuit ¹⁵ volavit ¹⁶ fuerunt ¹⁷ ubicumque ¹⁸ volatores ¹⁹ convegerunt volatum (= volaturi) ²⁰ certaminum artis circumvolandi participes ²¹ venit ²² Hungariam ²³ mense Julio anno


1935 una cum merito²⁴ ad circumvolandum²⁵ Hungaricum.²⁵ Decem dies degit in Hungarica terra. Postea saepe meminerat diem²⁶ in Hungaria. Amavit^{*} machinas diversissimas in²⁷ aquae²⁷ et²⁷ sicce²⁷ et in aëri.²⁸ Non reformidabat nullum²⁹ periculum. Nunc, ut patria sua³⁰ bellum gerit, Amy Johnson statim offerebat³¹ operam suam. Supra Temse³² conscendit³² cum machinam³² malum³³ accideret. Praecipitabatur³⁴ et³⁴ undae devorabant.³⁵

²⁴ marito ²⁵ Hungariam circumvolandam ²⁶ dierum actorum ^{*}amabat ²⁷ terra marique ²⁸ aëre ²⁹ ullum ³⁰ eius ³¹ obtulit ³² Thamisiis volabat ³³ casus adversus machinae ³⁴ praecipitatum ³⁵ devoraverunt

Praemia a moderatore donata ex 33 competitoribus optime corrigendo meruerunt: **Verona Szlávik** (*Angelanum*), **Catharina Osvát** (*Veresianum*), **Paulus Forgács** (*Berzsenyianum*), **Buda-pestinenses**; **Angela Komlós** (*Ursulanum*) *Scarabantina*, **Robertus Frankl** *Mátyásföldiensis*, **Geysa Babay** et **Ladisláus Páll** *Szekszárdiensis*.

Nuntii recentissimi.

Nuntii bellici. Postquam Darlan summus dux provinciarum Algeriae Mauretaniaeque caede¹ ex insidiis¹ facta¹ mortuus¹ est, Giraud et de Gaulle de primatu Francorum Africanorum dimicant. Germani Italique utrimque circumdati impetum hostium fortiter remorantur. Classarius² quidam Italianus ad urbem Tobruk a hostibus captus mirifice se in³ libertatem³ vindicavit³. Ut acta⁴ diurna⁴ *Messagero* intitulata nuntiant, classarius, qui privatim mechanicus fuit, aliquando machinas corrigere iussus autocyclo⁴ reparando operam dans



Urbs¹ Algeria, ubi Darlan interfectus est.

in hanc machinam occasione datā insiluit raptimque per portam castrorum evectus est. Colonus tandem Italianus abdidit eum, ne a militibus Australianis automobili illuc advenientibus inveniretur. Acum magneticam automobilis Britannici profugus nocte clam amovit, milites igitur Australiani alio vehiculo iter continuare coacti sunt. Postea classarius acu magneticā repositā automobili Britannico incolumis pervectus est ad aciem suorum. *R. Frankl* disc. Mátyásföldiensis.

¹ orgyilkosság áldozata lett = das Opfer eines Meuchelmordes wurde = fut victime d'un assassinat ² haditengerész = Marinesoldat = soldat de marin ³ liberavit ⁴ hírlap = Zeitung = journal ⁵ motorkerékpár = Kraftrad = motocyclette.

Gymnasium Praemonstratensium Keszthelyiense mense Decembri sollemnia semisaecularia cele-



Gymnasium Keszthelyiense (luce pinxit Aem. Láng).

bravit. Schola a. 1772 a Paulo e comitibus Festicis condita primum a Franciscanis regebatur, a. autem 1808 Ordini Praemonstratensi tradita et a. 1892 ita expleta est, ut dehinc in aedificio eodem anno erecto semper octo classes haberet. Missam pontificalem **Paulus Sárközy dr.** abbas Bakonybéliensis celebravit, interea orationem ad iuventutem **Emericus Szerecz dr.** abbas-parochus¹ habuit. In conventu² antemeridiano **Albinus Szalay dr.** rector gymnasii qui nunc est, historiam scholae exposuit, **Emericus** autem *Csapláros* abiturienti³ carmen suum «Alma Mater» intitulatum declamavit. Certamen musicum postmeridianum oratio **Roberti Berkes dr.**-is consiliari⁴ superioris⁴ publici⁴ aperuit, deinde **Josephus Franciscus** princeps regius e carminibus suis lacum Pelsonem (= Balaton) laudantibus recitavit, complures autem artifices clarissimi cantando instrumentisque⁵ canendo⁵ auditores delectaverunt.

Gaudium et luctus Ordinis S. Benedicti. Hisc diebus Providentia Divina magno gaudio luctuque haud mediocri Ordini in Hungaria vetustissimum affecit. Quis enim non gaudet audiens **Chrysostomum Kelemen** archiabbatem a Gubernatore

¹ plébános = Pfarrer = curé ² ünnepély = Festlichkeit — gala ³ discipulus classis VIII-ae ⁴ kormányfőtanácsos — Oberregierungsrat — conseiller du gouvernement ⁵ zeneszám = Musiknummer = numéro musical

nostro, Nicolao Horthy magna cruce Ordinis⁶ bene⁶ merentium⁶ ornatum esse? Quae cum ita sint, praetermittere non possumus, quin verbis ipsis, quae de meritis viri excellentissimi in actis diurnis *Pester Lloyd* scripta sunt, utamur:

Chrysostomus Kelemen archiabbas a. 1884-o natus primum munere magistri in gymnasio Papaensi fungebatur, deinde parochus erat oppiduli Nyalka. A. 1926—1928 in gymnasio O. S. B. Budapestinensi docebat. Aestate a. 1929 coadiutor pontificalis factus Ordini S. B. praesae coeparat et a. 1933 archiabbas eiusdem Ordinis ab Summo Pontifice Pio XI-o nominatus est. A. 1938 a Gubernatore nostro dignitate consilarii regii Hungarici intimi auctus est. Archiabbas universa reverentia florens⁷ praeter industriam Ordini suo mirum⁸ quam salutarem optime meruit de schola Italiana in Monte Pannoniae (= Pannonhalma) aedificato, atque archiabbatis ipsius beneficio⁹ Ordo S. Ben. munere in cunctis negotiis omnis generis ita fungitur, ut auctor¹⁰ aliis ad imitandum sit.⁹

Elias Kemenes. 1885—1943.

Vir, cuius nomen hic nigris lineis marginatum legitur, non solum Ordini S. Ben., sed etiam IUVENTUTI nostrae «flebilis occidit.» Eliae Kemenes debetur⁹ resurrectio ephemeridis nostrae, quae, cum mense Martio a. 1919 communistae in Hungaria rerum potiti omnes ephemerides civiles sustulissent,¹¹ propter iniquitatem temporum septem annos silere cogeatur. Anno scholastico 1926—27-o tandem Elias Kemenes, qui a. 1909 sacerdotio¹² inauguratus¹² mox iam professor academiae in Monte Pannoniae, a. autem 1924 rector novi gymnasii Ordinis S. Ben. Budapestinensis factus est, ausus est IUVENTUTEM resuscitare, cuius tum ipse duos annos moderator erat. Hoc munere diutius fungi non potuit, nam brevi vicepraeses Senatus Institutionis Publicae, deinde autem rector superior regius districtus Budapestino circumiacentis factus his institutis operam navare debuit. Praeterea Commendator Foederationis Emericanae, praeses honorarius districtus X-i Foederationis Exploratorum¹³ Hungaricorum nec non sodalis fere omnium societatum catholicarum et paedagogicarum optime meruit de Ecclesia et patria, quae ei adeo cordi erant, ut idem cor iam non sustineret assiduas nimiasque animi contentiones¹⁴ exercitationesque¹⁴ corporis. Elia Kemenes, qui vitam factisque demonstrasti, quomodo monachus Deo carus, civibus autem saluti esse posset, non omnis mortuus es. Nostram tuorum erga IUVENTUTEM meritorum memoriam nulla unquam delebit oblivio.

⁶ érdemrend = Verdienstorden = mérite ⁷ örvend = erfreut sich = être honoré du ⁸ rendkívül = außerordentlich = extraordinairement ⁹ köszönhető, hogy = es ist zu verdanken = grâce à ¹⁰ exemplum praebet ¹¹ megszüntet

= beseitigen = faire cesser ¹² pappá szenteltetése után = nach der Priesterweihe = après l'ordination ¹³ cserkész = Pfadfinder = boy scout ¹⁴ erőfeszítés = Anstrengung = dépense d'énergie



Archiabbas Chrysostomus Kelemen et legatus Italiae nomine Da Vinci cum discipulis gymnasii Italiani in Monte Pannoniae.

Alexander Petőfi: In pugna.

Latine reddidit Vinc. Bors Szegedinensis.

<i>Ira est in terra,</i>	<i>Crepant, diu crepant</i>
<i>Ira et in caelis!</i>	<i>Sclopeta militum,</i>
<i>Rubent sanguis fusus</i>	<i>Fremunt tormenta, ut</i>
<i>Et radii solis!</i>	<i>Det mundus genitum;</i>
<i>Sol occidens nitet</i>	<i>Caelum, tellus, forsam</i>
<i>Tam rubro iubari!</i>	<i>Iam vultis collabi!</i>
<i>Proversum, milites,</i>	<i>Proversum, milites,</i>
<i>Proversum, Hungari!</i>	<i>Proversum, Hungari!</i>

<i>Admiratur sol nos</i>	<i>Ardor ferox rapit</i>
<i>Inter atras nubes,</i>	<i>Nunc meum animum,</i>
<i>In fumo emicant</i>	<i>Sanguis, ardor, fumus</i>
<i>Horrendae cuspides,</i>	<i>Me fecit ebrium,</i>
<i>Ac nubium globi</i>	<i>Prorumpo paratus,</i>
<i>Volvuntur ignavi,</i>	<i>Vincere aut mori!</i>
<i>Proversum, milites,</i>	<i>Subsequamini me,</i>
<i>Proversum, Hungari!</i>	<i>Milites Hungari!</i>

Theoprobis post vitam dissolutam ad Deum conversus monasterium intrat.⁽³⁾

Narrationis Fridiczkyanae quae «Roma aeterna» inscribitur (vide recensionem libri pag 71: m. Maii) extrema paratula. In Latinum convertit Carolus Acs Bp.

Post Vesperam cum in rectorium²⁷ venisset, Theoprobis oculis iterum illa imago tranquillae maiestatis apparuit. «Roma, inquit, non est perditā, en tibi senatum. Gravitas Romana et dignitas salvae²⁸ evaserunt.²⁸ Hic est Roma futura.»

²⁷ ebédlő = Speisesaal = réfectoire ²⁸ megmenekül = sich erhalten = être sauvé

Benedictus placide respondit : «Penes Deum est Roma futura. Paganorum Roma occidit. Urbs Roma posthac personam Christi procuratoris geret, ad quem omnes orbis nationes venerabundae²⁹ suspicient³⁰ non servorum ritu³¹, qui truces dominorum vultus expavescent, sed ut fidentes, errantes, desiderii et fiduciae pleni agni, qui inter lupos se a pastore tutos actum et rectum iri sperant. Et huius Romae futurae, id est Dei Romae senatus hic monachorum coetus est. Meministine, Benedicte, cum adolescentulus semitas³² hominum laeva mente peragrarem, tu mihi futura in basilica S. Pauli apostoli demonstrasti. Tunc te despexi. Te, cum ego splendidissimo solis candore circumfulgerer, pro lucerna parvā luce lucenti habui. Sed iam contenebravit,³³ venit nox et quod olim lucernam tremulā luce lucere putabam, id nunc stellam fulgidam, micantem video, quae naufragis³⁴ in immensa vastitate³⁵ fluctuum viam in portum ducentem monstrat. Tu te non fefellisti; Roma non poterit perire. Si suis peccatis ab orbis terrarum imperio detrusa³⁶ est, ad Deum conversa hominum errantes animas iterum ad nova Hierosolyma ducet, quae nunquam finem habebunt». Finis

²⁹ áhítatosan = andachtsvoll = pieusement ³⁰ feléje
néz = emporblicken = lever les yeux ³¹ módjára =
nach Art = à la manière³² ösvény = Pfad = sentier ³³ be-
sötétedik = es wurde finster = s'obscurecir ³⁴ hajótörött
= schiffbrüchig = naufrage ³⁵ pusztaság = Wüste = désert
³⁶ lesodorták = wurde herabgestossen = entraîné

Tab. II. Paradigma conjugendarum consonantium.

	b	d	f	g	j	h	k	q	l	m	n	p	r	s	t	x	z	c	ch
b	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o
d	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o
f	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o
g	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o
h	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o
k	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o
l	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o
m	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o
n	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o
p	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o
r	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o
s	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o
t	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o
x	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o
z	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o
c	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o
ch	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o	o

LECTORIBUS MAIORIBUS

Systema stenographiae S.-is Taylor. (7)

Ad linguam lat. accomodavit I. C. Danzer Pesthini 1802.

Vocabula illa, quae singulis characteribus adjecimus, tacito quodam stenographorum consensu, solis his exprimere sufficit, ut cum frequentius ceteris occurrant, tanto expeditius scribi possint; eaque propter diligenter memoriae imprimenda sunt, quo accuratius religi possint. Characteribus terminationum, ea quoque vocabula, quae vocalibus tantum constant, adneximus, cum illis solis haec designare ament stenographi. Hosce characteres, eorumque significationes sibi quam maxime familiares reddat, quisquis in hoc scribendi genere progredi cupit; omnemque adhibeat industriam, ut crebra atque accurata imitatione dextram oculosque aequabili eorum formae atque dimensionis assuefaciat; hanc enim observare scribentis aequae, ac legentis plurimum interest.

§. IV. De modo consonantes stenographicas nectendi. Ratio conjugendarum consonantium facilis est omnino & simplicissima; ita enim alia ex alia nectitur, ut, ubi prior desinit, ibi sequens oriatur, omnesque ejusdem vocabuli literae ita cohaereant, ut unico solum ductu calami, quod etiam reipsa fieri debet, formatae appareant. Hanc conjunctionis methodum d uarum quarumcunque consonantium exhibet tabula II. ad modum tabulae pythagoricae; ubi in superiore linea transversa litera prima, secunda vero in extrema verticali, ad sinistram quaeritur, atque ab hac indice digito sinistro manus in columna horizontali dextram versus, ab illa indice digito dextrae in columna verticali deorsum ad eum usque locum itur, quo duae haec columnae concurrunt, ubi demum quaesita conjunctio sub aspectum cadet. Continuabitur.

Librorum recensio.

Notter Antal emlékkönyv. Dolgozatok az egyházi jogból és a vele kapcsolatos jogterületekről. Szerkesztették Angyal Pál, Baranyai Jusztin, Móra Mihály (Liber ad honorandum Antonium Notter continens dissertationes ex iure canonico necnon ex disciplinis affinis). Budapest, Szent István-Társulat. 1941. Pag. 1167. Pret. 50 Pengoe. — Hoc vasto volumine, quod a Paulo Angyal, Iustino Baranyay et Michael Móra summa diligentia et praecipua solertia adornatum est, Antonii Notteri, professoris iuris ecclesiastici in Universitate Budapestensi septuagesimum annum agentis memoria celebratur et posteritati proditur. Cum isto libro maximam partem quaestiones iuris ecclesiastici catholicorum pertractantur, tum etiam viri docti, qui in reformatorem, evangelicorum unitariorum, graecoorientalium iure ecclesiastico versantur, in societatem et communitatem operis assumuntur. Commentationes, quae hic publicantur, maxima pars quidem Hungarice scripta est, tamen etiam Latinae, Italicae et Germanicae eduntur. Praeter nostrates numero



triginta sex, quaterni Italici et Germanici canonistae, opera sua offerentes quanti studia iuris canonici Hungarici faciant, evidenter significant testificanturque quam arto vinculo canonistae Europaei inter se conectantur. In extrema parte libri omnium commentationum summaria Latina confecta sunt. Atque huius libri recensiones, quae adhuc in terris externis in lucem prodierunt, documento sunt, canonistas non esse nescios, quid operis nostrates in studiis iuris canonici praestiterint. Librum *Iulius Glatfelder*, archiepiscopus Colociensis pulchra subtili praefatione prosecutus est.

Móra Mihály; Házassági kereseti jog a köteléki perben az egyházi jog szerint. (De iure accusandi matrimonium in causis nullitatis secundum ius canonicum.) Budapest, Szent István-Társulat, 1941. Pag. 260. Penge. — Hic liber Michaelis Móra, unius ex celeberrimis iuris canonici consultis, qui operibus laboris et industriae plenis apud doctos viros exterarum gentium nobis gratam laudem et nomen pepererat, in duas dividitur partes, quarum una in historia iuris versatur, altera ad dogmaticam spectat. In parte autem, quae historiam iuris amplectitur, auctor libri contentionum diuturnarum longam seriem persequitur, quibus ecclesia pro insolubilitate matrimonii et iurisdictione ecclesiae matrimoniali contra ius Iudaicum, Romanum et Germanicum dimicabat. In parte altera operis, id est dogmatica subtiliter inquiritur in quaestionem de iure accusandi matrimonium. Huic libro luculenter scripto, cui egregia Iustini *Baranyay* praefatio est praemissa, ut docti viri exterarum nationum quoque operis huius notitiam haberent, summarium Latine scriptum adiectum est.

C. Acs. Bp.

Proxime recensebuntur libri, qui inscribuntur: 1. *V. Temeszy Győző dr.:* Földrajzi zsebkönyv. 1943. — 2. *Moravcsik Gyula:* A papirusok világából. Parthenon. 1942. — 3. *Balogh József:* Szent Ágoston vallomásai. Parthenon. 1943. — 4. *Schematismus* Congregationis de Zirc. 1942.

In obitum Iosephi Fornari doctoris.

«Multis ille bonis flebilis occidit», moderator ille Almae Romae, a. d. XIV kal. oct. (1942), annos natus tres et septuaginta, Commendator S. Gregorii M., Camerarius honorarius cappae et gladii, aureo bene merentium numismate ornatus. Adolescens optima praeditus indole iurispergentiae dedit operam gradumque consecutus est doctoris. Sed maluit docere adolescentulos, quam exercere ius. Insignis cultor Latinitatis et homo vere catholicus multos annos obibat officia apud Sacras Curiae Pontificiae Congregationes. Notarius primo Congregationis Rituum efformabat, quae pro sessionibus illis Latino sermone describenda erant, postea officialis fuit et archivarius Signaturae Apostolicae, postremo operam dedit Congregationi Studio- rum et Universitatum.

Latinitatis ductus amore, qui antea in edenda Voce Urbis — nam hoc nomen commentariorum Latinorum illorum erat — socius Leonori fuerat, hoc mortuo Vocem Urbis in Almam Romam mutavit, quam virili generosaque constantia undetriginta annos concinnandam edendamque curavit. Sed Alma Roma subseciva prorsus occupatio Fornari fuit.

Qui in funebri praeconio celebris illius ephemeridis Vaticanae, cui Observatori titulus est, idcirco vir mirabilis atque apostolus caritatis nominatur, quod amantissimus simplicitatis Christianae ad Christi praescriptum nesciente sinistra eius, dextra quid faceret, singulari studio serviebat in primis iunioribus. Anno 1920 Neptuniae in agri Romani litorali oppidulo condita est domus divinae Providentiae curandis educandisque dubia valetudine parvulis, eiusque domus gestio a Summis Pontificibus commendata est Fornario. Hic suorum immemor commodorum administravit omnia. Statis diebus eo ex urbe profectus prospiciebat

rei culinariae et sacrae aedi, scholae et ludis parvulorum, egregia eum adiuvante filia.

Ergo ex illa Providentiae sede, quae ei alterum domicilium facta erat, Deus, vitae dominus, ad aeterna illa tabernacula proficisci eum voluerat. Eo se contulerat pridie Nonas Septembres in decem, uti constituerat, dies. Levi tactus morbo nescio quo ita est debilitatus senex, ut munitis sacramentis exeuntium beneficiique particeps peculiaris Summi Pontificis benedictionis placide indormisceret collapsu extinctus cardiaco.

Fornarium magni faciebant postremi Romani Pontifices. Pius X propriis literis laudavit positam in concinnanda Alma Roma operam; Benedictus XV adeo delectabatur sermone et viro, ut interdum ad protrahendum cum eo colloquium dimitteret, qui ante cameram exspectabant; Pius XI datis litteris ad orbis ordinarios et supremos Religionum moderatores, sicut pollicitus erat Fornario, ad studia Latina, ad scientiam usumque linguae Latinae adhortabatur; cum Pius XII ad audientiam admisisset Fornarium, hic in Sancti Patris scriptoria mensa conspexit Almam Romam, et postea, cum ipse Fornarius tetigisset temporis difficultates et deliberare se praestaretne in praesentia suspendere editiones, Sanctus Pater hortatus est, ne pateretur exstingui rem tam pulchram et utilem. Itaque factum est, ut Fornarius eripiendus iam Latinitati curam Almae Romae secum Neptuniam deportaret.

Ex Urbe, Postridie Nonas Novembres anni 1942.

Andreas Avenarius.

AENIGMATA.

Solutiones aenigmatum numeri III (Nov.): 1. O, eo, leo, oleo, doleo, adoleo. — 2. Nec summus cunctis Iuppiter ipse placet. — 3. Sodes, odoro, dolor, erogo, soror. — 4. Pastor Faustulus. — 5. Titus Livius. — 6. Tempora mutantur et nos mutamur in illis. —

7. *Vides, ut alta stet nive candidum*

Soracte nec iam sustineant onus

silvae laborantes geluque

flumina constiterint acuto? (Hor. Carm. l. 9.)

8. Deus, dens, deni, doni, dono, domo, homo. — 9. Mons, mors, more, mare. — 10. Sola, casa, tres, raro, dico, sano, rodo: Sic itur ad astra. — 11. Manus, ubi, capite, inter duos, ubi bene, sic. Sapienter, cupiditas, audiat, eligas, vacare, omnia, labor, ameri: Mucius Scaevola. — 12. Iugum.

Aenigmata recte dissolverunt ex 20 scholis 160 discipuli. Praemium ab Societate Mag. Cath. Med. Sch. donatum sorte obvenit: **Iulio Szedenics** (Toldyanum), **Catharinae Osváth** (Veresianum), **Desiderio Kiss**, **Stephano Pécsy** (Eötvösianum), **Colomanno Könyves-Tóth** (Ladislainum), **Ladislao Rigó**, **Iulio Szemere** (Berzsenyanum), **Andreae Bernhardt** (gymn. ignotum) Budapestinensibus; **Zoltano Büssüi** Dombóváriensi; **Tiburtio Briznyák** (Hunfalvyanum) Cassoviensi; **Ioanni Szendrei** Makonensi; **Paulo Szabó** (Maurinum) Papaensi; **Iosepho Bertényi** (gymn. Cisterc.) Quinqueecclesiensi; **Iudithae Pintér** (Ursulanum), **Zoltano Balássy** (Astricinum) Scarabantinis; **Belae Lakatos** (Klauzalianum) Szegedinensi; **Georgio Kádár** (Yblianum) Alba-Regiensi. Fortuna non favit discipulis Elisabethae, gymn. conf. Helv. Budapestinensibus, Jászberényiensibus, Claudiopolitanis, M.-Canissanis.

1. *Quadratum magicum.*

	1	2	3	4
1				
2				
3				
4				

A A B B

1. Numerus est.

D E E E

2. Oppidum magnum est.

E R S S

3. Tu non hic es.

S S U U

4. Forma verbi «sum».

Victor Reményi disc. Astricini (Sopron).

2. *Angulus magicus.*

1 2 3 4 5 6 7

- 1 A C D D I I I I. Poëta Romanus fuit.
 2 I I I O R R 2. Diversus, mutabilis.
 3 S S S S S 3. Locus certaminis equorum (prima littera abest).
 4 S S U U 4. Divinus, divus.
 5 U U U 5. Contrarium officii.
 6 U V 6. Suffixum nominativi singularis.
 7 V 7. Consonans.

*Andreas Gebhardt disc. . . . Bp.*3. *Pyramis.*

- A Vocalis.
 AA Suffixum infinitivi.
 AEE Donare (prima littera abest).
 EEE Pontus, pelagus.
 MRRRR Diligere.
Ioannes Schultheisz disc. Szekszardiensis.

4. *Acrostichum.*

- nte . pud . ito . ro
 cet . uventus . amen . ubito
 xtra . rma . lvus . ibi

Litterae initiales recte inventae dictum Iulii Caesaris indicant,

*Ioannes Schmidt disc. Mohácsiensis.*5. *Ad saltum equulei.*

O	a-	tu-	ae	cens,	tu-	me-	co-	ve-
na-	tu-	les	tis	rum	nem	ne-		
du-	for-	te	qui	vir-	Ho-	prae-	in-	ris.

Si recte inceperis, dictum Ciceronis ex oratione pro Archia poeta accipies.

*Colomannus Könyves Tóth disc. Ladislaini Bp.*6. *Ex sententiis.*


- simili gaudet.
- . . . et labora.
- . . . locuta, causa finita.
- . . . pacem, para bellum.
- alii, tu, felix Austria, nube.
- vincit amor.
- est omen.
- iacta est.
- dies sine linea.
- litigantes tertius gaudet.
- a non lucendo.
- morituri te salutant.
- in fabula.
- arma silent Musae.
- . . . bene, ibi patria.
- et impera.

*Elisabetha Almádi disc. Veresiani Bp.*7-8. *Logographi.*

- H puella fuit, quam Leander amavit.
 S significat: iungo, semino.
 N imperator Romanorum crudelissimus fuit.
 V est synonyma coniunctionum: sed, tamen.

Gabriel Reinitz disc. Berzsenyiani Bp.

Nomina nota mihi duo sunt, quis¹ consona prima
 dissidet, at pariter cetera cuncta sonant.
 Hoc signat pilum, quod dextra mittis, at illud
 fulcrum, fert quod opus, ne tibi genva² labent.

*Fr. Palata Trebicensis (Moravia).*¹ quibus ² genua9. *Aenigma rotundum.*

Si primam litteram recte inveneris, dextra circumiens
 quare tertiam quamque litteram, dum magistrum Ho-
 ratii accipies.

*Iulius Szedenics disc. Toldyani Bp.*10. *Rebus.*

Mille chilogrammata

palma palma palma PALMA

Frid. Kreiner disc. M.-Canissanus.

Nota. Lectoribus minimis: 1-5, mediis et maioribus
 6-9. — Discipuli eiusdem scholae solutiones a magistro
 suo collectas in communi involucro epistolae ad modera-
 torem J. Wagner (*Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20.*)
 mittant. (Egy-egy iskola tanulói rejténymegfejtéseiket
 közös borítékban küldjék be a szerkesztőségbe.)

Terminus solutionum: Calendae Martiae.

Epistolia officialia.

Mense Decembri 20 magistri discipulique me opusculis
 variis quasi inundaverunt. Quae cum ita sint, tam longas
 dissertationes, quam e. c. S. Englaender de Africa—ceterum
 laudabiliter — scripsit, dum singulis mensibus 8 tantum
 paginas habemus, non possum publici iuris facere. — *Car.*
Lackner. Liber *Chimani* iam divenditus est, alter autem
 liber *«Caepellanus»—Lamer:* Sprechen Sie lateinisch? per
 librarium *Eggenberger* (Bp. IV. Kossuth L.-u. 2. e Germania
 apportari potest. — *Compluribus.* I. Narratio *Mauritii*
Jókai, quae inscribitur: «De duabus salicibus Enyediensi-
 bus (= A nagyenyedi két fűzfá), latine reddita in libello
 eleganti, imaginibus, annotationibus et vocabulario in-
 structa ab interprete huius libri, *Ladislao Juhász doctore*
 (Szeged, Horthy-kollégium) venditur. Pretium 1.60 pengoe.
 Numerus chartulae nummariae (chèque) postalis: 2685.
 Novem exemplaribus decimum gratis additur. II. *Carmina*
Horatii selecta 33 in usum iuventutis studiosae ad modos
 aptata. Melodias partim collegit, partim composuit
Iosephus Wagner. Pretium 2 pengoe, lectoribus IUVENTU-
 TIS tantum 1.50 pengoe. Haec anthologia musica ab Socie-
 tate *Parthenon* edita prostat apud librarium Franklin-
 könyvkereskedés, Bpest, IV., Egyetem-utca 4. Numerus
 chartulae numm. post.: 43,464. — *Moderator omnibus, a*
quibus gratulationes tempore Nativitatis Christi aut
novi anni acceperit, gratias pro humanitate agit quam
maximas.

Budapestini, ex officina consortii Stephanei. Negotiorum curator: Fr. Kohl jun.